



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 43. Regis mandata, ac Senatus decreta contra hæreticos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

„prodesse. Sicut non dubito, sed con-
 „stanti fide affirmo statum illum vitæ,
 „quem Religionem Monasticam professi
 „sequuntur, Deo gratum esse. Dete-
 „stor denique omnem hæresim, & præ-
 „cipue Lutheranorum, & Calvinista-
 „rum, quos, & illorum Sectatores æter-
 „no anathemate dignos esse credo. Et
 „ita per hoc Sacrosanctum Christi Evan-
 „gelium, quod manu tango, juro.,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1568.

§. XLIII.

*Regis mandata, ac Senatus decreta
 contra hæreticos.*

Postmodum juxta hanc fidei professio-
 nem jurabant manu Evangelio, & *Argentre*
 imagini Christi apposita omnes Doctores *p. 402.*
 Theologi, & Pontificii juris periti, ac
 fere omnes Doctores ex Facultate me-
 dica: porro inde itum est in Collegia
 Lexoviense, San-Barbaranum, Remen-
 se, Calvicum-Sorbonicum, &c. & ad
 Scholas juris Canonici, ubi lustrata sunt
 omnia collegia Universitatis mense hoc
 Februario, instante præcipue Doctore
 de Mouchy: insuper illi, qui ad castra
 Calvinistarum transfugerant, citati sunt,
 ut coram Universitate comparerent. De-
 nique ut Universitas in sua petitione fir-
 maretur, ac cuncta, quæ horum decre-
 torum executioni obstare possent, tolle-
 rentur, hinc statuit Universitas, Cleri,
 atque

Sæcul. XVI. atque urbis Parisiensis auxilium implorandum, ut a Rege obtineret Literas regias, quas tamen magnus Regni Tabularius, seu Cancellarius regio Sigillo munire recusabat.

Accepta hac repulsa Rector libellum supplicem Regi porrexit, quo eum exorabat, quatenus Cancellarium hæc literas sigillo firmare, atque Oratoribus tradere juberet: itaque hæc literæ die vigesima tertia Octobris concessæ Parisiis fuerunt confirmatæ, eisque sequens præfigebatur titulus: *Mandata Caroli IX. Regis contra Universitatis membra, quæ a Catholica fide defecerunt.* Jam antea Parisiensis Senatus die decima tertia Julii edictum promulgabat, vi cuius prohibitum, ne illi, qui Catholicam Religionem non profiterentur, ad ullum officium, vel munus admittantur: insuper Rex alio quoque decreto die vigesima prima Augusti editum Universitati plenum jus tribuit, ut illos, qui publicis Religionis exercitiis, veluti supplicationibus &c. interesse recusabant, suis officiis amovere, eorumque loco alios requisitis dotibus ornatos sufficere posset.

§. XLIV.

Santiæ Theresiæ studium in restaurando Carmelitarum Ordine.

Jam